

erat sola Naucratis. Præter hoc in Ægypto aliud nullum. Quodsi quis in aliud aliquod Nili ostium applicuisset, is necesse habebat dejerare, se venisse invitum, dato jurejurando, se eadem navi ad Canobicum navigaturum: et si id minus per contrarios ventos posset, onera fluvialibus navigiis circumacturum, lustrando Delta, donec perveniret Naucratem. Ita Naucratis in honore erat. Sed præterea exteris ideo etiam certi limites sunt designati, quousque progredierentur, ne totam provinciam pervagantes, reipublicæ arcana scrutarentur. Elegans hujus rei testimonium extat in l. 4. C. de Commerc. & mercator. qua HONORIVS & THEODOSIVS, imperatores, mercatoribus interdixerunt, ne ultra urbes negotiis exercendis destinatas progredierentur, his verbis usi: *mercatores tam imperio nostro, quam Persarum regi subiectos, ultra ea loca, in quibus, fæderis tempore, cum memorata natione nobis convenit, nundinas exercere minime oportet: ne alieni regni, quod non convenit, scrutentur arcana.*

V.

Habes originem & causas restrictæ, in variis gentium regionibus, libertatis, qua antiquioribus temporibus peregrinantes in via tenenda uti potuisse videntur. Vidimus, illam ab iis demum temporibus repetendam esse, quibus commercia inter gentes florere cœperunt. Sed rarius ad Germanos veteres, majores nostros, commeabant mercatores, qui ea, quæ tum ad effeminandos animos, tum ad vitam sustentandam pertinent, importarent. Tanto enim minus illi rerum exterarum cupiditate ducebantur, quanto magis omnis vitæ ratio, cui a pueris assveverant, a rebus, quæ ad luxum spectant, aliena erat, quum illa, quæ patrium solum proferre solet, iis sufficerent. Cibis enim utebantur simplicibus. Vesciebantur lacte & caseo, pomis agrestibus, & carne, cujus maximam copiam ipsis suppeditabant pecudes,

des,